

X a
2677



EPISTOLA ITINERARIA LXXVII.

SISTENS

MEMORABILIA

ISLEBIENSIA,

AD

VIRVM SVMME REVERENDVM

CLARISSIMVM

ATQVE

DOCTISSIMVM DOMINVM

D O M I N V M

OTTON. IOACH. ANHALT.

ECCLESIARVM IN PRIGNITIA INSPECTOREM VIGILAN-

TISSIMVM,

NEC NON

ECCLESIAST. PRIMARIVM WILSNACKÆ DIGNISSIMVM,

FAVTOREM ÆTATEM MAXIME CO-

LENDVM.

Xxx xx ;

VIR



103 132 101
VIR SVMMÆ REVERENDE!

Herbstadio relicto, itinere unius mil. emenso, D. Lutheri patriam, *Islebiam*, *Eisleben*, urbem Comitatus Mansfeldici præcipuam, in fundo fertili sitam, salutavi. In honorem *Isidis*, cujus idolum sub gentilismo in hoc comitatu cultum ædificata traditur, quasi *Isleben*, *Isidis vita*, dicta; in curia idolum tale *Isidis* adhuc conservatur; & sic oppidum satis antiquum existit.

An. 1483. d. 10. Nov. nocte post undecimam horam D. *Mart. Lutherus*, parentibus Ioh. Luthero, metalli- & lapidum filium foffore & ejus uxore, *Margaretha*, nata *Lindemanns*, ex pago *Möra*, *Saltzungam* inter & *Isnacum* sito, ex quo *Islebiam* commigrarunt, (conf. *alte und neue Thüringische Chronica* p. 293) in domo quadam plateæ dictæ longæ, in angulo, *Halam* versus sita, in lucem editus ac seq. mane, die *Martini*, in templo S. *Petri* aqua baptismatis lavatus. In cælum rediit, ibidem loci, postquam annos 63. menses 3. & dies decem inter mortales vixerat. Corpus ejus, *Wittenbergam* delatum, in sacello au- lico terræ commissum.

Domus laudata, in qua natus, & quæ sub variis incendiis miraculo quodam, hæctenus salva servata, sub incendio urbis 1689. in cineres abiit. Magistratus loci 1693. istam reædificavit, duas superaddidit contignationes, & in domum elemosynarum, *Allmosenhaus*, scholam scriptoriam ac arithmeticam consecravit. D. *Lutheri* imago, super domus portam quæ quondam extra stetit, in præsentii in anterioris domus parte, cum sequenti disticho videnda:

Hostis

Hostis eram Papæ sociorum pestis & hujus
 Vox mea cum scriptis, nil nisi Christus erat.

In hac domo & MSSa quædam, aliæque res D. Lu-
 theri monstrantur; it. prioris domus incensæ *trabes*, de
 cujus ligno *dentiscalpia* detrahunt, creduntque utentes, se
 hisce posse odontalgiam sedare. Si juvat, unice juvat in
 dolore dentium, a plethora, cruentatione dentiscalpio ex-
 citata. De hac Domo *Jesus reliquit* vid. von Rohrs *Werk-
 würdigkeiten des Vorharzes*. p. 5;8. Keyßleri *Sortsez-
 nelleser Reisen*. p. 119. & de *remedio odontalgico* Islebiano
 obs. mea in den *Breslauer Kund N. Gesch.* 1726. p. 477.

In conclavi audientiæ Consistorii figura D. Lutheri
 thoracica, typis cupreis expressa, miratur. Ex epigraphe,
 in memoriam primi jubilæi confectam esse, patet. In dex-
 tro latere icon fidei, una manu crucem longam, altera ca-
 lycem cum pane eucharistico tenentis adest. In sinistro i-
 con constantiæ, una manu librum apertum, in quo ver-
 ba: verbum Domini manet in æternum, leguntur, tenet;
 altera manu innititur columnæ, in qua ex Psalmo 118. v.
 22. verba: lapis, quem ædificatores abjecerunt, est factus
 in angulo. Laudata ari incisa figura 16;4. Ardera, *Ue-
 dern*, in incendio, cum Decani Baumichens domus fundi-
 tus flammis deleta, miraculose servata. Ad bina iconis la-
 tera, in margine, mirandi ejus conservatio, sequentibus
 versibus expressa, adnotata legitur:

Baumichii flagrante domo in cineresque redacta

Omnibus, effigies salva, Luthere, Tua est.

Quamlibet in mediis sit consopita favillis,

Non tamen hic aliquid flamma nocere potest,

Iantua quippe perit rapidis dans pabula flammis,

Non.

Non tamen affixa huic disperit effigies,
 Scilicet hic omnem depromimus, haud fore quicquam
 Perdere quod possit, quæ docuisse soles.
 Sub icone seq. rithymi legendi:

Als des Ardrischen Decani Zauff
 Abgebrannt ist zu Grunde aus,
 Auch mit verbrannt die Scuben Thür,
 An welcher gewesen das Bild allhier,
 Ists doch blieben ganz unverlezt,
 Und zum Gedächtniß hierher gesetzt.

Conf. Keussl. l. c. p. 118. In bibliotheca Urbis No-
 rinberg. *Lutheri biblia*, in igne non concremata, & quæ in-
 star argumenti κατ' ἄνθρωπον inserviunt, monstrantur. Die
 9. Sept. 1723. sermonem ex cathedra sancta in templo S.
 And. inaudi. Custos harum ædium D. *Lutheri Sugesum*,
 ex quo plus semel verbum Dei deprædicavit, monstrabat.
 Hunc in præsentis verbi evangelici ministri non amplius ad-
 scendunt, cum nullus, se dignum esse in isto stare, cre-
 dat, verosimilius autem, cum sit vetustus, imo & novus
 e regione huic jam erectus existat. conf. D. Ge. Henr.
 Götzi, Superint. Lubec. Diss. de *Reliquiis Lutheri*, diversis
 in locis asservatis, singularia 4. Lips. 1763. it. Keyßl. l. c.
 pag. 119.

In S. Petri templo *pallium sacerdotale*, **Chor-Rock**,
 quo indutus fuit. In curia autem aliquot *pulvinaria*, **Bet-
 ten**, nec non *lectus ligneus*, in quo hic loci de nocte somno
 se recreavit, exhibentur. Huic ligno plebs superstitiosa
 magnas tribuit vires; qui frustulum de isto secum portat,
 nunquam non securus a cephalalgia vivit; *dentiscalpia* ex
 eo concinnata, quando dentes cum istis purgantur, ab om-
 ni

mni odontalgia momento citius liberant. Cum Sueci milites per tempus quondam in Saxonia morabantur, de hoc lecto & mensa quadam lignea Lutheri tot fragmenta, tot segmenta, ex quibus aliquot spondæ & mensæ confici potuissent, cultris successive defecarunt, secumque deportarunt, in magnum istius, qui has custodit reliquias, emolumentum. Nam ex pecunia, quam pro demonstratione & permissione defecationis particularum in gratiarum actionem & loco præmii, a curiosis accepit, semper alias mensas, aliosque lectos in locum defecatorum, sine ullo suo damno surrogare, facile & substituere potuit. Hac occasione & adducere placet lectum D. Elisabethæ, quem in Wartburgo, in quo B. vir per tempus detentus fuit, ad Isnacum monstrant. De hujus ligno singuli peregrinantes frustula, quibus ad dentium dolores, ex superstitiosa credulitate, utuntur, cultro absciunt.

Quomodo autem Georg. Rudolphi, civis Isnacensis, similia segmenta ex ligno Domini Secretarii absceiderit & Romano-catholicis pro ligno lecti S. Elis. vendiderit, lege ap. M. Nic. Rebhahn, Theol. Isnacens. in Hist. eccl. Isnacensi MSta. p. 97.

Aliæ reliquæ alibi locorum monstrantur. Sic Magdeburgi in monasterio S. Augustini, im Augustiner Kloster, cella, in qua ejus lectum & mensam videmus. Secundum traditionem, fragmentum de lecto, instar dentiscalpii adhibitum, dentium podragam tollere insulse creditur. Sed omnia dentiscalpia, & lignea, & ex alia materia confecta, in dolore dentium a plethora, quando gingivæ, ad cruentationem usque, iisdem pungantur, solamen adferre possunt. imo ad tempus adferunt. Super janua cellæ sequentes rhthymi obsoleti leguntur:

Yyy yy

Dis

Dis war *Lutheri Kämmerlein*,
 Wenn er ins Kloster kam herein,
 Gedächtnis halb wird noch igund,
 Zier gesehen sein Bettespund. Latine :

Martini fuit hoc aliquando *cubile Lutheri*,
 Cum monachi sedes hic habuere suas.
 Nunc quoque pro tanti servatur honore ministri,
 Quaque itus cubuit, *sponda* videnda datur.

Conf. Iter Magdeb. Cent. II. Ep. It. LXV. Ed.
 Browns *Reisen*. p. 296.

Curiosis Erfurti *cella* ej. in antiquo Augustinorum
 cœnobio, quod hodie Evangelici possident, æque monstra-
 tur. Magna cura istam conservant. In hoc cœnobio est
 quoque Reverendiss. ministerii evangelici *bibliotheca*. conf.
Nachricht, was in D. Luthers Celle zu Erfurt zu sehen.
 8. Erf. 1702.

Muri rudera de *Lutheri domo* Wormatiæ. vid. *Staat
 des Fürstenthums Eisenach*. p. 159. In bibliotheca Wol-
 fenb. *Atramentarium*, quod in arce Wartenburgo diabolo, in
 ipsum illudenti, objecit; magnum atramenti vestigium,
 nulla, uti traditur, sponsia debile, adhuc ibi in concla-
 vis pariete conspiciendum; atramentarium est massa gravis
 plumbea rotunda, pro recipiendo atramento excavata, cum
 depressione quadam vel tuberculo introsum vergente, ex
 jactu relicto, adhuc videndo. Porro & adest ejus *cochlear*
argenteum, & vas *vitreum* cerevisiarium, satis capax.

In bibliotheca Magistratus Noriberg. publica, in
 monasterio Dominicanorum, dem *Prediger Kloster*, *D.*
Lutheri vitrum vinarium, *Römer* vulgo, quod quondam
D. Ionæ Viuriario, amico suo, cum hac inscriptione, do-
 navit:

Dat

Dat vitrum vitreo Ionæ vitrum ipse Lutherus,
 Ut fragilem, vitro similem, se noscat uterque vel:
 Ut vitro fragili similem se noscat uterque German:

Dem alten Doctor Ionas
 Bringet D. Luther ein schön Glas,
 Das lehrt sie alle beyde fein,
 Daß sie gebrechliche Gläser seyn.

monstratur. Pater quidam Romano catholicus, capillamento caput tectus visitationis ergo, hanc bibliothecam intravit. Inter alia rariora & ei nominatum offertur vitrum. Cum istud manu haberet, Domi bibliothecarii filiulus, qui, curiositatis gratia, cum patre bibliothecæ conclave intraverat, cogitavit, quid, si vir vitrum cadere sineret? hac vix cogitatione suborta, Pater revera, quasi casu id fieret, vitrum cadere permittit; infantulus autem statim & de momento suum succinatorium præposuit ac explicavit, quo vitrum infractum excepit. Suspicio justa statim in virum cadit, quod præmeditatus id projicere voluerit, quare ob facinus perpetrandum alloquutus; Sed constanter neganti capillus factitius de capite detrahitur, quo factò, corona, novacula rasa, in epicum venit, hinc non absque ludibrio, cum mala fama, ex conclavi rejectus

Supra domum civium Wormatiæ locus, in quo Lutherus pro Imperatore stetit, fuit; hic *scamnum* adhuc hodie monstrant, in quo *vitrum*, veneno repletum, quod ei tunc ebibendum obtulerunt, sponte confractum.

Quod Islebiæ *Lutheri caligæ* foeminis sterilibus ex parte anteriori ad osculum porrigerentur, &, quando hoc remedium sit frustra adhibitum, viris ex parte posteriori,
 Yyy yy 2 in

instar pretiosarum reliquiarum, æque ad osculandum exhiberentur, calumniæ certe sunt incondonabiles, vid. **Ein extraordinair mit einer neuen Depesche abgefertigter Courier an einem vermasquerten Spitzvogel der Catholischen Religion und Heiligen Gottes, mit einem kurzen Extract der fürnehmsten Mirakel und Reliquien des seel. Vaters Lutheri, gezogen aus dessen Leben. 2c. Durch D. Io. Frid Mayer 4. Hildesh. 1698.** Autor anonymus, Romano-catholicæ relig. meras nefandas in D. Lutherum, ejus costam, Cathar. de Bornn, & omnes Evangelico Lutheranos in hoc schediasmate excogitavit calumnias. Reliquiæ, nempe *caligæ*, excrementis alvinis fordidæ, quas nequam de Divo viro adduxit, in ipsius cerebro sunt natæ. Præstans quoque argumentatio: Lutheri corpus examine, licet brumali tempore sit extinctum, statim intolerabilem de se sparsit fæctorem; (de quo odore cadaveroso historici istius ævi nihil reliquerunt) Ergo Lutherani sunt hæretici. **Quale conclusum?**

De Reliquiis Lutheri vid. Christ. Junkers **guldene und silberne Ehren-Gedächtnis D. M. Lutheri. in welchen dessen Leben, Tod und Reliquien.** 8. Nürnberg. 1706. c. fig. Io. Herm. ab Elswich **De reliquiis Papatus, ecclesiæ Lutheranæ temere affectis.** 8. Hamb. 1721. H. Gætzii **de reliquiis Lutheri, diversis in locis asservatis.** 4.

Metallifodina hujus loci & vicinæ offerunt in lapide fissili nigro argentum & cuprum, quæ metalla non pro-cui ab urbe in officina quadam fusoria excoquantur. conf. Magnal. Dei. P. I, p. 183, P. II, p. 678.

In hoc discusso lapide non raro piscium, anguillarum, salamandarum, ranarum, bufonum, gallorum, frondium arborum, &c. secundum naturam pictæ figuræ occur-

occurrunt; præsertim piscium, qui in vicino lacu, de quo mox, amplissimo, reperiuntur, icones. Præ omnibus notatu dignæ ex veteribus sunt: 1) lapis D. Lutheri iconem exhibens, de quo vid. Fel. Maurers Obs. cur. phys. p. 979. 980. Zeileri T. II, Epist. 554. p. 880.

2) Cum effigie Pontificis summi, tiara triplici decorati; inventus 1531. de hoc vid. Maurer. l. c. p. 647. &c. 816. 979. Matthesius in Sarepta. Wolf. Cent. XVI, fol. 775. Spangenberg. Mansfeld. chron. Zwingeri Theatr. vitæ hum. f. 4. L. I. Agricola P. Steph. Amiodt in Germania in naturæ operibus admiranda. Quæst. X, ex prædictis duobus lapidibus unum facit, cujus una pars Papæ effigiem, altera M. Lutheri formam exhibuerit,

3) Inveni sunt ibidem duo lapides, qui bina planisphæria, astronomicum & geographicum, cum omnibus asterismis, circulis, zonis, lineamentis, regionibus accuratissimo naturæ artificio, impressa habuerunt. Sunt iidem lapides, quos in superiori epistola adduximus.

In obsoletis fodinarum cumulis, *Schächten*, *Lychnis flore albo*, quam metallici hic *Schachtkraut* vocant, & folia, instar acetarii, comedunt, crescit, vid. Ep. lt. LXXXV. p. 5. Cent. I.

Extra urbem quoque *terra figulina* piceo-nigra effoditur,

Dom, Wiejener, Reg. Maj. Pol. & Elect. Saxon. aulae & justitiæ Consil. *numophylacium*, in quo præprimis *numi Mansfeldici*, singuli ac rarissimi, summo studio collecti, conspiciuntur, hic loci possidet.

Yyy yy 3

De



De cerevisia *Krabbel*, *Crabbel an dei Wand*, vid.
 Catalogus omnium potus generum. p. 39.

Hora una & dimidia ab urbe ad *Seeburg*, in cujus fundo vitiferi colles, magnum lacum aquæ dulcis, & non procul ab hoc alium *salsum* circumivi. Cum vero de his præcipua memorabilia in Dom. de Rohrs *Merkwürdigkeiten des Vorharzes*. p. 690. nec non in mea obl. in den *Bresl. K. und N. Gesch.* 1726. p. 478. præstant, porro in Gotfr. Parei *entdeckten grossen Wunder: d. i. Beschreibung der in der Grafschaft Mansfeld befindlichen salzigen See*; quam ex MSto cum Dom. M. Grundig, verbi divini Ministro in Hermannsdorf, non procul Annæbergæ, communicavi, qui rarissimæ eruditionis vir dictum MStum, cum suis & meis annotatis, Tom. III. *Neuer Versuche nützlicher Sammlungen zur Nat. und Kunst-Gesch.* 8. Schneeb. 1748. inseruit; legenda, studio ista prætermitto. Autor conjecturaliter, cum ratione tamen, docuit, quod fontes salini Halenses, & alii, ad aliquot miliaria a lacu in circumferentia profilientes, omnes ac singuli per meatos varios ac ductus, sub terra flexuosos, ex nominato lacu aquas suas accipiant salvas. Insuper monstravit, quomodo accolæ peculiarem fructum ex hoc lacu quotannis habere possint, quando istum nempe cum salmonibus, ovulis mox maturis gravidis, & ostrearum sætura ex mari sæcundum redderent. De duabus peculiaribus in hoc lacu 1717. & iterum anno 1723. a me observatis *Algis Marinis* vid. Cent. II. Ep. It. I. c. fig. Et de *conchulis dorisfeyis* Dom. Prof. *Rappolti*, quas etiam hic in littore collegi, M. Grundig. l. c. p. 214. 216. Hæ cochleolæ perpulchre pictæ, *conchula semilunares*, *Semilunares*. *Schnecklein*, *cochleæ valvata marmorea*, rectius *Neritula variegata* minores, colore purpureo l. cæruleo eleganter pictæ, nec non similes ex XXXVI, albo flavescentes; easdem & ex aliis aquis, nempe flumi-
 fig. 1. ne

Tab.

XXXVI,
 fig. 1.

ne Unstrut Thuringiæ; ex fluviolo Wipper ad Sondershusam; ex lacu Mecklenburgico ad Müritz accipi; in aquis & littore ibid. flavescentes ingenti numero leguntur; rubescentes, violaceæ & nigricantes rariores prostant. Similes, versicolores, ex piscina quadam Sondershusana mecum communicatæ. Cum Dom. Rappoltus nullam harum figuram scriptulo suo, de his edito, addiderit, icones istarum hic illustrabis. In littore lacus falsi & *conchulas bivalves, albas, rotundas, minores, collegi.*

Quod ad *pontem diabolicum, die Teufelsbrücke*, in hoc lacu attinet, plures tales memorandi veniunt: 1) *Die Mårebrück ad Roschildam* in Dania, quem, secundum fabulam, malus spiritus extruxit. 2) *Pons diaboli Hamburg.* vid. M. Adrian. Beyeri Geographus Ienensis p. 495. 3) Similem in altissimo monte Cenis in Helvetia, a peregrinatoribus ob ventorum tumultus & tempestates continuas sic dictum, cum traditione vid. apud Scheuchz, *Nat. Gesch. des Schweizerland.* P. III. wöchentl. Erzählung Num. II. p. 44. c. fig. Ej. *Iter Alpinum* III. p. 212. c. fig.

4) Adest pons Mussipontanus, de quo leg. Schrams *hist. Schauplag der merkwürdigsten Brücken.* p. 187. 158. 60. 237. cum fig.

In itinere Hallensi obviam mihi factus studiosus. delassatus, ad terram prostratus. Hic Musarum alumus occasionem dedit personis, in curru publico præsentibus, communicandi remedia ex itinere pedestri delassatis prospiciendi; nempe frictionem pedum cum Spiritu frumenti fortiori ac sapone; quæ omnem pedum dolorem ac calorem, absque

que damno, extraheret. Alius, ad roborandos pedes, spiritum vini Rhenani cum flor. Lavend. cham. Rom. infusum, ad abluendum pedes, laudabat. Fuit, qui succum Plantag. pro pedum inunctione, commendabat, & omnem adimeret lassitudinem. Folia Alni in calceis, sub pedum plantis gestata, lassitudinem præcaverent; facilius credendum, quam quod rami Alni, Artemisia, Verbena &c. octo diebus ante 1. post festum Bartholomæi ex terra protracta, & in manu solum gestata, quo absque ulla artuum lassitudine vadere possimus, laudatum præstarent effectum. Tartari, persæque delassatos pedes nucibus defricant, proxime igni admovent, ejusque ardorem quousque possibile, tolerant, quo citius lassitudinem propellunt. conf. Tavernier *Reisen*. L. III. c. 13. Reliquum nihil habeo, quod addam. Vale nostrum Decus, Vir plurimum Reverende, & me perge amare. Wolfenb. d. 9. Jan. 1748.



EPI.

Pon Xa 2677, QK

ULB Halle 3
003 138 038



D



